



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs IX. De Feriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

tur ex cap. Tum ex literis s. in fine, de in integr. restit. Imò Gail. l. 1. obseru. 51. monet, in quibusdam tribunalibus id ferme ordinarium esse, ut citationes fiant ad totam causam, dato tamen temporis interuallo, quod sufficiat ad deliberandum, & causam instruendam, si ex loco remoto peremptoriè aliquis vocetur iuxta c. 1. h. 2.

2 Nota II. Si dilatio peremptoria ob superveniens impedimentum non fuit sufficiens, dari potest noua dilatio, ita etiam supra in c. 2. Not. 2.

Quæritur I. Quid sibi velit, quòd procuratorium mandatum datum sit saluis exceptionibus? Resp. Referendum id esse potissimum ad exceptiones dilatorias, ne enim Archiepiscopus videretur mandasse Procu-

ratori, ut super causa principali responderet, protestatus est, exceptiones omnes etiam dilatorias saluas sibi manere.

Quæritur 2. Quid sibi velit, quòd Procurator dixit Archiepiscopum pro absente reputandum fuisse, & revocandi domum priuilegium habuisse? Resp. Id solùm dicere voluisse, quod præsentia, quam pro publica necessitate Romæ exhibuit, ei damno esse non debeat, ut ibi respondere teneatur non instructus, ideòque perinde censendum esse, ac si Romæ nunquam fuisset. Ceterùm cum ratione sue profectionis impeditus fuerit, quòd minùs causam adeò arduam instruere potuerit, ideò nouam ei dilationem necessariò tribuendam esse, quod & Pontifex iustum esse decreuit.

TITVLVS IX. DE FERIIIS.



FERIA à dilationibus, de quibus præced. tit. differunt 1. Quia dilationes dantur ob còmodum, & plerumque etiam ad instantiam partium, ut se ad litem instruere possint. FERIA autem legibus instituta sunt, potissimum ob publicum bonum, vel Dei honorem. 2. Dilationes dantur secundùm exigentiam causæ plerumque iudicis arbitrio, sed feria definita ac stabiles sunt, nihilominus & ipsæ feria dilationes quædam iudiciorum sunt, ut propter hanc genericam convenientiam, hi tituli non incongruè coniungantur, uti ex l. 1. ff. Videre est, titulis De Feriis & Dilationibus.

CAPITVLVM I.

Omnes.

Dies Dominica omni cum Veneratione seruari debet, à Vespera ad Vesperam, ita ut non liceat mercatum aut iudicium instituere, vel aliquem condemnare, aut iuramentum præstare, nisi pro pace, aut alia necessitate.

Quòd hinc dicitur de obseruatione Dominicæ & Festorum à Vespera ad Vesperam, id accipi debet secundùm consuetudinem quarundam prouinciarum, at verò spectato Communi Ecclesiastico iure, cuiuslibet festi obseruatio est à mediâ nocte, usque ad alterius noctis medium. De Mercatu diebus festis non instituendo, & non agendis litibus iudicialibus, egi eodem tract. 7. cap. 2. asserit. 8. & 9. vbi etiam dixi. n. 8. limit. 4. Non omnia iuramenta die festo prohiberi, v. g. quæ fiunt in inauguratione Doctoris, pro Confirmatione contractus, sed tantùm iudicialia, quamuis & hæc non minùs quam alij iudiciales actus propter necessitatem aut pietatem permittuntur. c. vlt. h. s. Videatur Tancredus l. 2. c. 19.

CAPITVLVM II.

Quoniam.

TRIA hinc dicit Alex. III. Primò. Licet Iudæi Sabbata celebrarint à Vespera usque ad Vesperam, tamen Christiani in festis suis inchoan-

choandis, & finiendis attendere debent partim ad qualitatē festi (quia ut Ioan. Andreas hīc explicat, quæ maiora festa sunt, ut Paschatis, Pentecostes &c. citius inchoantur, & tardius finiuntur) partim verò ad consuetudinem locorum. 2. In diebus Dominicis, atque inter pascha & pentecosten genuum flexio fieri non debet in publicis orationibus, domi autem sine in secreto genua flecti ex devotione nihil prohibet. Deīn in consecrationibus Episcoporum, & Ordinationibus Clericorum, Consecrans & consecratus, Ordinans & ordinatus, secundum quod Ecclesiasticus ritus postulat, genua flectunt. 3. Festiuitas SS. Trinitatis in quibusdam Regionibus celebratur in Octava Pentecostes, in quibusdam autem in Prima Dominica ante Adventum Domini, sed Romana Ecclesia pro veneratione eius festiuitatis, diem specialem non instituit, cum omnibus diebus SS. Trinitatis mysterium venerari soleat, peculiariter id agit diebus Dominicis, ut ex officiis Ecclesiasticis liquet, & obseruauit Micrologus de Ecclesiasticis obseru. 10. Suar. l. 2. De Festis. c. 4. n. 16. Postea verò Ioannes XXII. SS. Trinitatis festum à Romana etiam Ecclesia in propria Dominica, quæ est proxima post Pentecosten peculiariter ab omnibus coli præcepit, uti testatur Suarez, n. 17. Siluest. verb. Dominica. q. 1. Dicto 7.

CAPITVLVM III.

Licet.

PARAPHRASIS.

Alexander III. scribens ad Archiepiscopum Triburiensem permittit eius Diocesanis, si halecia (quod genus piscium rarò, & non nisi certis diebus compareret) terræ se applicare videatur, etiam in Dominicis & aliis festis, exceptis solemnioribus, capere liceat, ita tamen, ut adiacentibus Ecclesiis atq; pauperibus Christianis portio aliqua capturæ tribuatur.

SUMMARIVM.

1. Notoria necessitatis causa per se quidem

excusat à publica etiam festi obseruatione; si frequenter tamen ea recurrat, decens est, ut petatur dispensatio.

NOta I. Piscatio si cum multi operis labore institui debet, opera inter seruilia, & festo die prohibita numeratur.

NOta II. Licet causa necessitatis notoria per se excusationem præbeat circa festi obseruationem, tamen si excusatio seu impedimentum non pro vnâ vice occurrat, sed frequenter aut ordinariè, tum decens & consuetum est, ut dispensatio petatur, uti hīc patet. Eodem modo agricolæ, si propter superventuram pluuiam ruri laborare velint, priùs ab Ordinario v. g. Parocho licentiam petunt, ac veluti dispensatio est.

NOta III. Prælati in l. v. g. obseruationis festorum aut ieiunii dispensans, aliquid per modum eleemosynæ pauperibus aut Ecclesiis applicandæ imperare potest.

CAPITVLVM IV.

Capellanus.

Circa tempus feriarum, quibus solemnēs nuptiæ in Ecclesia fieri prohibentur, variæ fuerunt disputationes & locorum consuetudines, nunc autem obseruari debet, quod in Concil. Tridentino decretum est, Sess. 24. c. 10. De Reform.

CAPITVLVM VLT.

Conquestus.

PARAPHRASIS.

Tametsi lites & iudicia non protrahi, sed expediri magis deceat, nilominus iudiciarius processus cessare debet festis ijs diebus, quos vel Ecclesia universalis in Dei & Sanctorum honorem obseruari præcipit, vel Episcopi singuli cum Clero ac populo constituerunt, & aded quidem his diebus (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) cessandum est à iudiciis, ut ne consentientibus quidem partibus iudiciarius processus subsistere, aut sententia

r

tia

tia promulgari validè possit. Cæterùm iis feriatis diebus, qui ob hominum necessitates, gratiâ messium aut vindemiarum indulgentur, cum partium consensu iudicia institui nihil prohibet.

SUMMARIUM.

1. Non debent exerceri actus judiciales diebus Festis in honorem Dei & Sanctorum institutis.
2. Potest tamen die festo fieri libelli oblatio; & à iudice ex Officio contra suspectum inquisitio.
3. Citatio verò nec die festo, nec ad diem festum decerni potest, ut eo die compareat citatus, quamvis die Festo fieri possit intimatio citationis.
4. Testes examinari, & audiri possunt etiam in die festo, modo precedente die non festo iuramentum deposuerint, licet conformior juri sit contraria sententia.
5. Captura die festo fieri non potest, nisi periculum in mora sit, aut gravis criminis reus sit capiendus.
6. Probabilius etiam est, quòd executio sententia judicialis die festo fieri non possit.
7. Nec Arbitrarius procedere potest die festo, potest tamen Arbitrator.
8. Concessum est diebus festis non tantùm actus voluntaria jurisdictionis exercere, sed etiam appellare & censuram instigare.
9. Feriis politicis ordinariis possunt partes ad iudicium agendum validè renuntiare tam expresse quàm tacite, quamvis cogi ad renuntiandum nemo possit nisi necessitas postulet, quæ minor in his Feriis politicis requiritur, quàm in Sacris.

NOTAE. Diebus festis ob honorem Dei aut Sanctorum institutis actus judiciales exerceri non debent, ita habetur hîc, & in c. 1. h. t. l. Omnes. ult. C. de Feriis. l. penult. ff. eodem, videatur Snar. l. 2. De festis. c. 29.

2. Quæritur 1. Vtrum libellus offerri in ju-

dicio possit die festo. 2. Affirmatiuè. Cum Bart. l. Miles. §. 60. ff. ad legem Iuliam. de adulteriis. Nam libelli oblatio non est actus judicialis, iudicium enim incipit à citatione, at verò libelli oblatio antecedit citationem; idèmq; eadem ratione dicendum de inquisitione, quam iudex ex officio facit, antequam reum suspectum citat, aut incarcerat, quod festo die eam instituire possit, teste Tusco. n. 10.

Quæritur 2. Vtrum citatio à iudice die festo promanare possit. Affirmat Gailius l. 1. Obseru. 53. n. 5. Vbi ait, magis communiter receptum esse, quòd citatio decerni possit die feriatâ ad non feriatam, quia est actus extra judicialis, idèoque domi fieri potest, nihilominus spectato jure, vera & communis sententia est contraria apud Panorm. hîc. n. 2. Imola n. 12. Negari enim non potest, citationem esse actum iudiciale, cum sit fundamentum processûs iudiciarij, atque eo occupetur iudex præmissa aliquâ cognitione causæ non quidem inter partes faciendâ, ut pro tribunali sedere debeat, sed intra se. Intimatio verò citationis per nuntium seu oblatio citatorij fieri potest festo die, cum iste actus judicialis non sit, quia etiam extra territorium fieri potest. De eo etiam dubitant Authores, an valeat citatio decreta ad diem feriatam, videlicet, compareat ad diem 19. Martij, quam eo anno feriatam esse contingat. Multi Canonistæ affirmant, ut videre est apud Ioan. Andr. hîc num. 2. Snar. c. 30. n. 13. quia intelligi debet citatorium, ut citatus vsque ad terminum seu finem eius diei in loco præsens esse debeat, idèoque altero die illucescente respondere in iudicio paratus. Arg. c. Cum dilecti. 7. de dolo. Sin verò citatio ita facta sit, ut in die feriatâ, horâ v. g. septimâ, in consistorio se sistat citatus, irrita erit; ad cautelam verò supra dixi, quòd iudices solent diem mensis definire, aut diem v. g. trigesimum numerandum à die in quo citatio præsentata fuit, hoc adjecto, ut si is feriatas sit, proximo die non feriato sistere se debeat citatus.

Quæ-

3 Quæritur 3. An examinatio testium die festo fieri possit? plerique affirmant, si antea videlicet die precedente non feriatâ juramentum præstiterunt. Ita Speculator l. 2. p. 1. h. t. §. 2. Ioan. Andr. c. 1. n. 4. Panorm. ibid. n. 9. h. t. quia non est actus judicialis, cum per quemlibet ad id deputatum atque in loco priuato, seu non publici iudicii fieri possit, & est sententia probabilis, & tuta in praxi, sed spectato jure, magis placet, ut dicamus, depositiones testium in die festo irritas esse, ut docet Suarez cit. cap. 30. n. 7. Anton. apud Panorm. loc. cit. arg. l. ult. Cod. h. t. ibi: *ne nulla quempiam urgeat admonitio*: Ex quo colligunt DD. apud Panorm. quod testis in die festo cogi non possit ad respondendum: sed cur, nisi quia iudex non iudicè interrogat, seu jus interrogandi hoc die non habet. Ad argumentum contrarium. Resp. Examinationem ac depositionem testium antè juratorum non esse actum judicialem strictè loquendo, cum causæ cognitionem non requirat, esse tamen latè loquendo, tum quia procedere debet à iudiciaria potestate, tum quia plurimum inferuit ad iudicarium processum & sententiam. Excipe nisi periculum in mora sit, quia testis postea examinari non poterit, si discessurus aut in periculo mortis constitutus sit. v. g. Tempore pestis, tum in festo die etiam exacto juramento examinari potest, ut docet Speculator cit. §. 2. n. 6.

4 Quæritur 4. Vtrum captura seu carceratio festo die fieri possit. Resp. Negatiuè, ex Communi apud Farinac. in praxi l. 1. t. 4. q. 27. n. 107. argum. l. ult. Cod. h. t. Excipe nisi periculum in mora sit, quia Reus debiti Ciuilis, vel Reus criminis de fuga suspectus sit, ut tradit idem Farinac. num. 107. & 109. Addens Reum Criminis grauis seu enormis, festo die indifferenter capi posse. Arg. l. 3. Cod. De Episcopali Audient. & l. Actus 8. C. h. t. Vbi dicitur latrones die festo tormentis subijci posse, & gloss. 16. addit, tales facinorosos & valde noxios Reipublicæ, die Dominico aut fe-

sto etiam morte puniri posse. Verum tantam licentiam erga facinorosos jure canonico, quod in hac re utpote Ecclesiastica magis sequi oportet, non inuenio concessam, sed potius prohibitum, ne quis in diebus sacris vel festis ad mortem vel penam judicetur, cap. 1. h. t. Neque excipitur aliud, nisi pietatis aut necessitatis causa aliud exigat, ergo hac cessate, & si tortura aut supplicium in alium diem commodè differri queat, non erunt licita in die festo.

5 Quæritur 5. An executio sententiæ judicialis die festo fieri possit. Affirmat Panorm. cap. 1. n. 22. de iudiciis, saltem validè fieri posse, cum non sit actus judicialis requirens causæ cognitionem, imò Fridericus de Sen. & alij apud Tuscum cit. Conclus. 100. n. 6. absolutè aiunt nœram sententiæ executionem festo die concessam esse. Sed contrarium, spectato jure, est probabilius, imò verò expressum in cit. l. ult. ut bene monet Suar. c. 30. n. 11. Farinac. sit. quæst. 27. n. 107. ubi ait: Pium V. pro urbe hanc sententiam approbasse.

6 Quæritur 6. De Arbitris, num festo die procedere possint. Respondent ex communi. Abbas hic n. 19. Molina tract. 5. de Just. Suarez, cit. cap. 3. n. 15. Ex l. Omnes. 7. Cod. h. t. Quod arbiter Juris procedere non possit, cum iudicarium Ordinem seruare teneatur, sed Arbitrator & Compositor partium, omni die cognoscere & arbitrium dicere potest. Porro voluntariè jurisdictionis actus non prohibentur die festo, tales sunt dispensare, absoluere, contractum approbare, ætatis veniam dare, pupillo tutorem designare, Magistrum creare, emancipare, adoptare, instrumenta conficere, consignare, ut docent DD. in cit. l. Actus. Videatur lex 20. ff. h. t. Sed & appellare die festo concessum est, etsi appellationem persequi tunc non liceat, uti docent DD. in l. 1. C. h. t. gloss. hic & Panorm. n. 13. Tuscus n. 10. Quia vox prouocantis non est actus judicialis, sed magis recessus à iudicio ob necessariam defensionem permissus, deinde est communior DD. sententia, quod Excommunicatio & aliæ censuræ festo die
r 2 validè

validè infligi queant, apud *Panorm. hic. n. 17. Suar. cit. s. 30. n. 9. Tusc. n. 4.* Quia ferre censuram contra contumaces potius ad legislationem aut præcepti impositionem, quam ad iudicium strepitum spectat. Ceterum si vocatis partibus à iudice cognoscendum, ac declarandum sit, num aliquis in excommunicationem lapsus fuerit, festo die id fieri non potest, nisi causa necessitatis, pietatis, aut Religionis urgeat.

9^a Nota II. Præter ferias ad cultum Dei institutas, aliæ sunt ferie politicae, & harum quædam solemnæ, seu quotannis recurrentes, ut quæ olim in die Natalis Principis instituebantur *l. vlt. C. h. t.* quædam verò rusticæ, quæ ob rurû laborantium fauorem tempore messis aut vindemiarum obseruantur *l. Omnes. C. eod.* & hæ ferie id proprium habent, quòd partes jis expressè aut tacitè renuntiare possint seu consentire, ut iudicium agatur his feriis, quippe cùm principaliter ob eorum fauorem introductæ sint, quamobrem *l. 1. De feriis*, non absolutè prohibentur iudicia tempore messis aut vindemiarum, sed ne quis aduersarium cogat ad iudicium venire, alioquin acta iudicialia irrita sint. *l. Si feriatis. 6. ff. eod.* Nisi necessitas cogat, ut quia res tempore aut morte peritura est, aut actionem vel litem instantiam peremptura *cit. l. 1. C. 3. ff. eod.* & verò in his ru-

sticis feriis minor necessitas requiritur, ut partes ad iudiciû compellantur, quam in aliis feriis, præsertim sacris, *arg. l. publicas. s. C. eod.* vbi dicitur publicas & fiscales causas in feriis messium & vindemiarum agitari posse, vbi gl. monet non idem quoque locum habere in feriis sacris, nisi necessitas vel pietas speciatim exigere videatur. Id verò addendum, tamen partes consentiant litigare in feriis rusticis, tamen iudex non tenetur illis jus dicere, nisi necessitas urgeat, quia ferie hæ etiam in iudicis gratiâ institutæ sunt, sed neque testes compelli possunt ad veniendum & testandum, teste *gl. incit. l. Omnes. 6. ff. De Fer. Abbas hic. n. 13.* nam res inter alios acta (videlicet litigantes) aliis non præjudicat. Est & aliud genus feriarum politicarum, quæ dici solent *feria repentina* ob Principis v. g. adventum, Regiæ prolis natalem, aut similem lætitiâ repenti iudici solitæ, cuiusmodi ferias indicare proprium esse principis dicitur, *in l. à nullo. C. h. t.* Conueniunt autem hæ ferie cum sacris & aliis, quæ ob publicam causam instituuntur, in hoc, quòd partes jis renuntiare nequeant. Vide *Azor. tom. 2 l. 1. c. 27. q. 1.*

Nota III. Si Episcopus festum speciale præcipere velit, non tantum Cleri, sed etiam populi consensum requirere debet spectatè communi iure.

TITVLVS X. DE ORDINE COGNITIONVM.

CAPITVLVM I.

Intelleximus.

PARAPHRASIS.

Mulier quædam virum sibi coram Ecclesiastico iudice petebat, testes introducens, quòd cum eo matrimonium contraxisset, vir autem metuens ne testium depositionibus convinceretur, exceptionem consanguinitatis obiecit, hoc casu dubitatum fuit,

RÆSTITO juramento calumniæ, & datis dilationibus ad respondendum, frequenter Reus vicissim aliquid objiciens, quæstionem mouet, seu per modum actionis, seu & quidem frequentius per modum exceptionis, quare dubitari potest, num de his objectis prius cognoscendum sit, quam ulterius super negotio principali.

* * *